



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 14. Metallorum Monstra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

§. XIV.

Metallorum Monstra.

In metallis quoque pro monstro habitū est, quòd, imminente Romanis primo civili bello, mures *aurum* in templo roserint, & capta ex his femina quinos masculos in muscipula enixa sit, quæ tres ex illis deuorauit; *tubarumq; clangor* in aëre concrepauerit. Nequaquam aliàs auro mures, sed fures insidiantur; & *tubarum clangor* in aëre, ob ipsam *tubarum* & *tubicinum* absentiam est prodigiosus; sicut & in *noissima tuba* erit. *Canet enim tuba*, 1. Cor. 15. & *mortui resurgent incorrupti*. Talia in aëre ^{12.} signa multa contigerunt, si miracula pro monstris essent habenda, quæ non naturæ, sed diuinæ potentiae effectus, quia naturæ vim ordinemque excedunt, non immeritò prodigia saltem vocantur, tametsi vera monstra non sint, cùm non sint naturæ aberrantis. Duo eiusmodi exempla, paulo infrà referemus, de significato monstrorum acturi. Hæc sola hîc abundè nos excitare possunt, ad laudes Domino dicendas, *qui facit mirabilia*.

Judic. 13.
19.

§. XV.